



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Mulieris amor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,  
 Regalesque accensa comas, accensa coronam  
 Insignem gemmis, cum fumida lumine fulvo  
 Involvi, ac totis Vulcanam spargere celtis,  
 Id vero horrendum, ac visa mirabile ferri,  
 Namque fore illustrem fama fatique canebant  
 Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.

*P. streui  
 Aus versus  
 arguunt  
 gloriam  
 una cum  
 armis.  
 Sic Galli  
 Sexillum  
 Auriflam-  
 meum quo-  
 da in pra-  
 liu culibus  
 praefertat.*

SIGNA MILITARIA. CAP. XVII.

**A**pu**D** Romanos inter alia militaria signa nonnunquam & flammulas rufas inuenio gestari so-  
 las, fuisseque flammam prosperi eventus signum ubique legas: veluti pugna quam Romani cum  
 Sabinis ad Heretum commiserunt, ubi ferunt militares Romanorum hastas ad altam noctem pertinaciter  
 ardere visas, nec, cum omnia consumat flamma, ex iis quicquam esse detritum: quo facti au-  
 dentiores, veluti Deorum aliquis victoriam pollicitus esset, ubi primum illuxit in Sabinos illati, qui  
 multitudine longe praestabant, insigni eos victoria profligarunt.

UMBRÆ. CAP. XVIII.

**H**inc etiam superstitibus animis umbrarum nomen, quia fumus adhuc vel torri carbonibus  
 pertinaciter inhærescens, diutius vaporat, nutrimento adhuc residuo. Vulgo enim creditur e-  
 orum diutius errare animas, qui ante diem violenter occubuerint. Quare ita Dido Maroniana mi-  
 nitatur,

*En. lib. 4.*

— Sequar artis ignibus absens,  
 Et cum frigida mors anima seduxerit artus,  
 Omnibus umbra loci adero.

MULIERIS AMOR. CAP. XIX.

**A**pu**D** Onirocritas legere est lucernam ardentem esse mulieris signum. quæ sit amore capta, prople-  
 rea quod levis, inconstans, & infirmus admodum sit earum amor, qui lucernæ inquit, minimi  
 flatus impulsu extingui potest.

*Amor in-  
 constans.*

LUCUBRATIO. CAP. XX.

**V**ulgatissimum vero est lucernam pro lucubrationibus ponere, unde Demosthenis illæ ac Aristo-  
 phanis Grammatici, & Cleanthis lucernæ celebratissimæ, atque illa Epicteti tam frequenter à  
 nostris & à Græcis authoribus decantata, ut nulla apud omnes celebrior, nulla pretiosior habeatur.  
 Sane quidem à Pythea objectum Demostheni quod ejus enthymemata lucernam olerent: quippe  
 quod is nihil ex tempore diceret, sed meditatione & vigiliis singula elucubraret: neque segnis in-  
 respondendo Demosthenes, qui non eodem pretio sibi & illi conitare lucernam subjecerit, nocturna  
 scilicet illi convivium exprobrans, quibus ille plus indulgeret, quam Demosthenes studio. Æschines  
 quoque nimiam hanc hominis diligentiam incessans, λογολογία eum appellat, sive quod semper,  
 uti dictum, ex scripto diceret: sive quod, ut nonnulli ajunt, in utriusque partis favorem aliquando scri-  
 ptitaret. Unde jocus ille apud Aristoph. Irene, de lucernarum fabro, & quod omnia jam consilia sint  
 ad lucernam consultaturi. Sed ut ad lucernam redeamus, Plato cum summi boni, qua poterat cogni-  
 tionem peruestigaret, id minime explicare posse contendit, sed ex diutino contubernio, tanquam ex  
 dixerat Propheta: *Lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis.* Et, *Signatum est super nos lumen*  
*vultus tui, Domine. Et, In lumine tuo videbimus lumen.* Hinc illa Esaiæ celebris adhortatio: *Illuminare*  
*illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum,* & pleraque hujusmodi de adventu JESU, qui verum  
 & unicum est lumen. Passim vero apud hos ignis fidei symbolum est, lucerna scientiæ, quas in ma-  
 nibus habendas divina institutione commonemur. Et Psalmo 18. illuminandam à Deo lucernam  
 prædicatur, ubi nonnulli interpretes per lucernam, intellectum, per tenebras corpus exponunt. Ce-  
 dunt vero tenebræ, ubi veræ scientiæ lumen effulserit. Quod vero pro lucubratione lucerna accipia-  
 tur, in causa sunt nocturnæ vigiliæ, quæ meditationi maxime commodæ sunt, & ad excogitandum  
 propter

*Meminit  
 Varro l. 1.  
 de ling. Lat.  
 Hinc & Xer-  
 xus Lucernam  
 olet.*

*Ignis fidei  
 symbolum.  
 Demosthe-  
 nes scilicet,  
 tum quod  
 descripto  
 diceret, tum  
 quod dicitur  
 quod dicitur  
 abstemius.  
 Val etiam  
 bene sapi-  
 a. do,*